

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Disputatio IX.

De abusibus Pontificiorum circa negocium Eucharisticum,

PRO ASSEREND  
DA PURITATE ARTICVLI  
VII. Christianæ Concordiæ.

*Quam assistente divinâ gratiâ,*

SUB PRAESIDIO,

*Reverendi & Clarissimi Viri,*

Dn. LEONHARTI  
HUTTERI, SS. THEOL. D. ET  
Professoris in celebri Academiâ VVitebe  
geni Publ. in Collegio disputationum Theolo  
gicarum privato proponit & exhibet

PAULUS PAUSPERTUS  
Iglaviensis Moravus.

*Ad diem 15. Octobr. Anno 1603.*

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana





Reverendis, Clarissimis & Excellentissi-  
mis Viris,

Dn. GEORGIO MYLIO S.S. THEO-  
LOGIÆ DOCTORI CELEBERRIMO ET INCLY-  
tę Academię VVitebergensis Professori primario, ac Ecclesi-  
arum in Illustrissimo Electoratu Saxonię generali  
superattendenti exoptatissimo.

Dn. M. MICHAELI GRUBERO PA-  
stori apud Iglavienses dignissimo & fidelissimo.

NEC NON

*Amplissimis, nobilitate, prudentia & autoritate pres-  
stantissimis viris,*

Dn. IACOBO SEIDENMELZERO  
inclytę patrię Reipub. Consuli Seniori me-  
ritissimo.

Dn. MATTHIÆ KRUMMIO,

Dn. MARCO DOBERANERO,  
Senatoribus ibidem laudatissimis

*Domini & Mæcenatibus meis magnis & devotę suspiciendis,  
hanc ouzñnow áme concinnatam in debite reverentię  
observantię & subjectionis symbolum*

demissę offero & consecro

Respondens.





## THESIS I.

**D**uo potissimum genera hominum nostro tempore reperiuntur, quae veritati divinae circa sacram Eucharistiam bellum movent: Ex una enim parte regnum Antichristi sese ei opponit: ex altera gens Cingliana, quae etiam inde gens Sacramentaria indigitari coepit: haec quia proxima disputatione duce Spiritu sancto per Evangelicam potentiam fortissimè fuit debellata & confutata, nunc Pontificis quoque Romani agmen sub eiusdem praesidis auxilio & robore prosternendum, aggrediemur.

### II.

Cum autem tria quasi castella Pontificij habeant, ex quibus doctrinae caelestis puritatem impugnare & evertere satagunt: quorum I. Transsubstantiationis sive μεταστάσεως ἢ μεταστώσεως commentum: II. Sacrificij Missatici Canonem fictitium: III. Sacrilegam Eucharistiae mutilationem, seu communionem sub una specie continet: idcirò eodem ordine tribus utpote capitibus contra eos pro obtinenda veritate preliabimur.

## CAPUT I.

### De Transsubstantiatione.

#### I.

Transsubstantiatio est iuxta Concil. Trid. mirabilis illa & singularis conversio totius substantiae panis in corpus Christi & totius substantiae vini, in sanguinem eius, manentibus duntaxat speciebus panis & vini facta per panis & vini consecrationem.

Ies. 13. ca.  
4. can. 23

#### II.

Hae execrabilis doctrina Patribus vetustioribus (multò magis scripturae sacrae) incognita fuit qui licet μεταστολῆς aliquando mentionē

Α 2

fiant.

faciant, de nulla tamen loquuntur mutatione alia, quàm de Sacramentali, quâ elementa panis & vini ad sacrum hunc usum transferuntur, ut sacramentaliter cum corpore & sanguine Christi unantur, fiantq; organa & media, per quæ Christus suum corpus & sanguinem nobis communicat.

III.

Primum autem Lombardi tempore circa annum Christi 1160. ceptum fuit disputari de modo conversionis, an esset formalis an substantialis, an alterius alicuius generis: variis omninò, imo planè contrariis, hac de questione agitatae sententiis, ut ipse Magister. Sent suam ἐπίνοιαν subiuncturus in hac verba proruperit: De hac questione definire non sufficio.

IV.

Sic itaq; nihil tunc certi definitum fuit, donec Innocentius III. circa annum Domini 1200. in Lateranensi Concilio modum conversionis in Ecclesia ante non definitum, primus determinavit, & novo ac monstroso dogmati, novam & monstrosam appellationem transsubstantiationis indidit.

V.

Sub finem huius seculi anno Christi 1299. Iohannes Scotus statuit transsubstantiationem ad presentiam corporis & sanguinis Christi demonstrandam in sacra cæna minimè requiri.

VI.

Huic ad stipulabatur Concil. Florentinum. Cum enim in illo conficienda essent literæ unionis inter Orientales & Occidentales Ecclesias disertè & expressè, ipso etiam annuente Pontifice Rom. Eugenio IV. exceptus fuit articulus ille de transmutatione panis in Eucharistia: & ad concordiam Ecclesie stabiliendam minus iudicatus fuit necessarius.

VII.

Purum putum itaq; mendacium est Concil. Tridentini, & reliquorum Pontificiorum, de quopiam univèrsali Ecclesie omnium ætatum, gentium & populorum quoad dogma de transsubstantiatione consensu & approbatione suaviter philosophantium.

Quàm

VIII.

Quàm horrenda verò abominationes ex hoc Papistico commento scaturiant subsequens argumentatio satis luculenter ostendet.

IX.

Quaecunq; doctrina 1. noviter 2. absq; ullo fundamento scriptura est excogitata, 3. verbo Dei è diametro repugnat, 4. univèrse puriori antiquitati adversatur, 5. rei naturam de qua agit evertit, 6. infinita absurda, 7. & superstitiones parit. eam falsam & abominabilem esse necesse est. Transsubstantiatio est eiusmodi. Ergo &c.

X.

Maioris propositionis veritas sua luce lucet: Assumptionis 1. membrum probatur ex thesi 2. & seqq.

XI.

Altera eius pars per se plana est. Nam ne unica quidem litescula in sacris extat, ex qua fictitium hoc dogma firmum patrocinium sibi conciliare queat.

XII.

III. Membri probatio ex interpretatione Apostolica verborum institutionis petitur, qua poculum benedictionis cui benedicimus 1. Cor. 10.  
16. *κοινωνία* sanguinis Christi, & panem quem frangimus *κοινωνία* corporis illius esse disertè testatur. Iam si panis in ipsummet Christi corpus foret conversus, non iam esset illius *κοινωνία*; Siquidem nihil est sui ipsius participatio, & id quod amplius non est, non potest esse alterius communicatio.

XIII.

Imo de ipso usu S. cœna differens Apostolus, non species aut accidentia panis & vini, sed panem & vinum nominat aliquoties. 1. Cor. 11.  
v. 26. & 7.  
28.

XIV.

Adhuc res ipsa stupendam cecitatem Pontificiorum palam redarguit. Panem namque manere panem, nec in Christi corpus mutari, simpliciter vinum manere vinum, nec transmutari in Christi sanguinem ipse sapor ostendit, ipsa visibilis quantitas ceteraq; accidentia in sensum incurrentia palam testificantur.

A 3

IV. Re-

## XV.

Ironeus l.  
4. contra  
Valent. c.  
34. l. 5.  
c. 4.

IV, Repugnat perpetuus consensus orthodoxæ antiquitatis, quæ  
Eucharistiam duabus rebus constare semper credidit, terrena una, pa-  
ne & vino: cælesti altera, corpore & sanguine Christi.

## XVI.

V. Μεσίωσις illa evertit naturam, tum panis & vini tollendo  
ipsorum substantiam remanentibus nudis accidentibus: tum corpo-  
ris & sanguinis Christi. Neque enim illud creari potest ex pane &  
vino, sed operante Spiritu sancto semel conceptum & natum est  
ante 1603. annos ex Maria Virgine, ac proinde novâ per fictiti-  
am quandam μεσίωσις, Creatione minimè indiget: ut nihil de eo  
iam dicam, quod blasphemum omninò, fingere Corpus Christi quod  
iam antè actu ipso existit perfectissimum, indies mediante voce sive  
demurmuratione impurissimi sacrificiuli, ex materia terrena,  
per Essentialem quandam conversionem creari.

## XVII.

VI. Duplex absurditas & blasphemia inde resultat: prior Philo-  
sophica statuens accidentia panis & vini nullo nullo subiecto inharere  
Si enim substantia panis & vini disparuit, nonne eorum accidentia ut  
color figura, quantitas carebunt subiecto? Posterior Theologica asse-  
rens corpus & sanguinem Dòmini tam diu sub his accidentibus ma-  
nere quàm diu ipsa accidentia apparent. Hoc si verum esset tum nun-  
quam vinum asservatum à Pontificiis acesceret, nec panis putresce-  
ret & in vermiculos converteretur, at quia experientia Papicolas  
convincit, tali panis & vino accidere. E. non sine insigni blasphemia  
fateri cogentur vino acescente sanguinem Christi acscere, & pane  
putrescente & in vermiculos converso, corpus Christi putrescere &  
in vermiculos converti. Quæ certè detestanda abominatio omnem  
impieratem Ethaicorum multis parasangis exuperat.

VII Hoc



XVIII.

VII. Hoc commentum fons & origo est horribilium aliarum superstitionum, ut ἀπολατρείας, asservationis hostia consecrata, circumgestationis in processionibus (qua primum ab Urbano IV. circa annum Christi 1260. contra fidem antiqua Ecclesia instituta fuit.) & id generum aliorum βδελυγμαίων quàm plurimorum.

XIX.

Cum itaq; hæc ita sese habcant invicta stat conclusio nempe transsubstantiationem esse horrendum & abominabile figmentum, quibusvis monstris Lybicus monstruosius.

CAPUT II.

De Missa.

I.

Profligata Transsubstantiatione sequitur in ordine expugnanda opinio Pontificiorum de Missa, qua totius Antichristiani regni presidium robur firmamentum & arx est, qua expugnata, totum Papatum corruere necesse est.

II.

De notatione vocabuli Missæ, semper varias fuisse opiniones ipse Bellarminus lib. 5. de Euchar. c. 1. testatur; enumeratis tandem variorum sententiis, pro suo iudicio eorum putat esse probabilissimam, qui Missam dici volunt à missione seu dimissione populi, ut idem sit Missa quod missio, sicuti idem sunt apud veteres collecta & collectio, & Græcè συλλογή & συλλέξις, & peccata remissa & peccati remissio.

III.

Rei definitionem tradit Conc. Tridentinum, asserens Missam esse sacrificium non tantum laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, sed verè propitiatorium, in quo Christi corpus & sanguis per sacerdotem offeratur indies in eodem modo pro vivis & defunctis, pro peccatis, penis, satisfactionibus aliisq; necessitatibus.

Sess. 6. die  
17. Sept.  
anno.  
1562. c.  
2. Can. 3.

4

Huic

IV.

Huic sententiæ nostro adhuc tempore pleriq; Pontificij subscribunt: eam vero nos tali syllogismo prosternimus.

V.

Quodcumq; dogma 1. non est Θεογενεσον 2. sacra scriptura multis modis contrariatur, 3. verum discrimen V. & N. Testamenti tollit, 4. & plurimis quoq; absurditatibus laborat, illud erroneum & abominabile est. Missa Pontificia est tale dogma. Ergo &c.

VI.

I. Assumptionis veritatem suppeditat locus ex Dan. c. ii. v. 38. qui Missam vocat idolam Mansim ab Antichristo infelici partu editum, quodq; loco Dei divino nempe honore & cultu in sua Synagoga veneratur.

VII.

II. Ex verbis institutionis petitur. Evangelista enim & Apostolus Paulus uno ore dicunt, Christum tantum dedisse corpus & sanguinem suum discipulis, Papicola contra assunt, Christum etiam obtulisse Deo. 2. Christus in verbis institutionis docet communicantibus Eucharistiã applicari remissionem peccatorum: Pontificij addunt etiam non communicantibus & absentibus. 3. Salvator jubet ut edamus & bibamus in sui memoriam: Papista contra celebrant missam in sanctorum memoriam.

VIII.

Deinde Missa nequaquam potest esse sacrificium, siquidem cæna Domini est Sacramentum & testamentum propriè ac verè sic dictum nunquam ergò sacrificij definitio ipsi conveniet: utriq; enim hoc perpetui discriminis intercedit, ut in sacrificio detur Deo: in Sacramento verò & Testamento hominibus. Ex Pontificiorum autem hypothese statuendum foret Christum Servatorem, qui in cæna ac Testamento suo nobis à Deo verè datur etq; offertur eundem vicissim simul etiam à nobis Deo dari atq; offerri.

IX.

Quod quanta cum opposita hæc duo sit coniunctum, credibile vix est, quin ipsimet Pontificij iam pridem animadvertentis.

Perit

X.

Porro quia Pontificij increuento Missae sacrificio conantur propitiationem suorum peccatorum consequi, sequitur peccata non esse ad plenum expiata illo cruento Christi sacrificio, cum tamen iustissimus Deus vi aeternae suae iustitiae pro peccatis hominum non geminam propitiationem poscat, sed unica illa plenissime acquiescat.

XI.

Qua de causa Spiritus sanctus Christi oblationem non modo specie sed & numero unam & perfectam esse, firmissime testatur Heb. 7. v. 27. & c. 9. v. 12, 25. item c. 10. v. 2, 11. & seqq.

XII.

III Quod sacrificium Missae tollat discrimen V. & N. Testamenti inde elicitur, quia illud fingitur (sic desinente Concil. Trid. sess. 22. c. 1.) representare sacrificium Christi in cruce peractum. Iam vero quicquid hoc Christi sacrificium in ara crucis exolutum praefigurat, adumbrat, representat, pertinet ad V. T. Col. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1.

XIII.

IV. Ex dictis apparet, quam crassis abominationibus & absurdioribus dogma hoc Pontificium laboret: at missis nunc illis ad tertium caput nostrae *oulyngew* accessum faciemus.

CAPUT III.

De Communionem sub una Specie.

I.

Tantam circa hunc tremendum fidei nostrae locum hominis peccati & filij perditionis, Antichristi Romani rabiem experimur, ut in ipsius Salvatoris nostri S. S. Testamentum sevirere, ac illud prohibitu suo corrumpere, mutare ac mutilare haud fuerit veritus.

II.

Cuius rei specimen admodum illustre dedit. anno Christi 1414. in Concilio Constantiensi sic sub anathematis fulmine praecipiens: Licet Christus venerabile Sacramentum sub utraque specie instituerit, & Ecclesia ita longo tempore observaverit: tamen hoc non

Sess. 13.

non obstante placet aliterius tantummodo speciei usus pro  
Laicis.

III.

Scilicet 5. c. 1. & Can. 1. a. Suffragatur huic decreto Concil. Trident. nullo inquam, divi-  
no precepto Laici & Clerici non conficientes obligantur ad Eucha-  
ristia sacramentum sub utraq, specie sumendum: Et si quis dixerit,  
ex Dei precepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fi-  
deles utramq, speciem sumere debere, anathema sit.

IV.

Hanc detestandam audaciam & ποληγουδότην Pontificis Roma-  
ni tali argumento confutamus.

V.

Quaecunq, doctrina 1. institutioni S. cœnæ contrariatur, 2. ab  
usu Apostolorum 3. & primitiva Ecclesie contra mandatum divi-  
num recedit, illa falsa & impia est. At doctrina Pontificiorum de  
communione sub una specie talis est. Ergo &c.

VI.

Assumptionis veritatem irrefragabiliter ita demonstro. 1.  
Christus S. cœnam instituit & celebrari mandavit, non solū manduca-  
tione panis benedicti, neq, sola bibitione vini benedicti sed utraque  
coniuncta: ut liquet ex Matth. 26. v. 26, 27, 28. Marc. 14. v. 22, 23,  
24. Luc. 22. v. 19, 20. 1. Cor. 11. v. 23, 24, 25. Et in 1. Cor 10. v. 16.  
Apostolus panem benedictum vocat κοινωvίωv sanguinis Christi, non  
contra. Neq, tantum Christus manducationem & bibitionem expres-  
sè definiuit: edite, inquam, bibite: verum etiam utriusque actum  
arctè coniunxit per particulam ὡς ἄνωσ similiter Luc. 22. vers. 20.  
1. C. 11. v. 25.

VII.

II. Quin eodem modo Apostoli S. cœnam usurparint vix quis-  
quam sanus inficias iverit.

VIII.

III. Ecclesiam primitivam approbantibus Apostolis eo modo &  
ratione Eucharistiam celebrasse, præter alia argumenta sufficiant  
hoc

hoc loco 1. Exemplum Ecclesie Corinthia. Dum enim Corinthij peccarent in sacrae cœna administratione, revocat eos Apostolus ad primam institutionem, ut secundum istam celebrarent Eucharistiam: ostendens hanc esse regulam unicam, ad quam actio Eucharistiae conformari debeat.

IX.

2. Testis præterea est universa Græca Ecclesia. Huius enim Theologi quotquot à temporibus Christi in Ecclesia Orientali vixerunt, ne latum quidem unguem à formâ Christi recesserunt. Quin imò in Occidentali etiam Ecclesia non constat ullo cuiuspiam orthodoxi Patris testimonio annis post Christum natis 1200. sacramentum Eucharistiae solenniter & publicè uspiam locorum sub una specie administratum esse.

X.

Quocirca firma stat conclusionis veritas, non obstante vel Pontificis Romani plusquam prætorica dictaturâ, vel Concilij Constantiensis rectius Obstantiensis & Tridentini (bruto certè) anathemate.

XI.


Quibus de causis & nos eam cum reliquis impiis abominationibus ex Ecclesiis nostris meritò rejicimus, improbamus detestamur & abominamur.


XII.

Sanctifica nos Deus, in veritate tua. sermo tuus est veritas Ioh. 17. vers. 13.

SOLI DEO GLORIA.







De abusi  
rum circa

PRO  
DA PURIT  
VII. Ch

Quam as  
SUB

Reveren

Dn. LEO  
HUTTERI,  
Professoris in c  
geni Publ. in C  
gicarum p

PAULU  
Igl

Ad diem

WVITEBERG

